



ILLUSTRISSIMO
ECCLESIAE PRINCIPI
JACOBO-NICOLAO H. J. n. 55.
COLBERT (30)
ARCHIEPISCOPO ROTOMAG.
NORMANNIAE PRIMATI.

Pro recuperatâ Valetudine.

O D E.



ON frustra est, pie Pontifex,

Quod junctas toties sustulimus polo
Multis cum lachrymis manus.

Cessit lethiferi perfida vis mali,
Defunctusque laboribus
Tandem te pavido restituis gregi.

Qui quantos misere anxius

Heu casu ancipiti sustinuit metus :

Cum pectus tibi non levi

Audiret trepidans vulnere faucium ;

Atque artis dubias vices ,

Crudelisque gemens auxilii gravem

Exhorresceret aleam !

Idem omnes habuit sollicitos timor ;

Seu communibus additos

Aris , quos tibi adhuc fortius alligat

Sancto pax bona vinculo.

Seu quos par pietas , par amor & fides ,

Quos vano strepitu procul

Sacris Relligio seposuit jugis

Ad nutus dociles tuos.

Seu quos ingenii munere divites

Durum pauperies onus

Arcebat gelidis vallibus Aonum ;

Quos tu munificus pater

Fortunæ reparans damna libentius

In spem numinis educas.

Et nos præcipue, quos tuus arguet

Haud unquam immemores favor,

Sic omnes similis perculerat dolor;

Rumor nam neque publicus,

Quamvis fausta ferens; nec manus efficax,

Spesque haud vana medentium,

Ægram, verus amor dum timet omnia,

Curam depulerant satis.

Sed te nunc reducem, nunc propius videt,

Nunc vani fugiunt metus,

Et pulsis redeunt gaudia questibus.

Certas inspicis omnium

In vultu, inque oculis, lætitiæ notas;

Nec luctus fuerat minor:

Tanti pene fuit, dicere nil moror,

Hoc quodcunque periculum.

Namquid grandem animam dulcius afficit?

Non si reddere victimas

Tercentum incolumi Præsule plebs paret;

Aut felicior aureis

Placare instituat muneribus Deos;

Ne post hac **gravior lues**

Fatali feriens **vulnere** fauciet

Pastorem simul & gregem.

Vos tantum **prohibete**, O **superi**, nefas;

Et tu, quam **sibi** **præsidentem**

Portis Rothomagus **proposuit** suis,

O Virgo, **facili** potens

Morborum omne **genus** **solvere** spiritu,

Ah, ne deinde **repullulet**,

Divinâ **refeces**, siquid **erit**, manu

Sævi **reliquias** **mali**.

Hoc voce unanimi te **populus** **frequens**,

Et queis, **Optima**, **nil** **negas**,

Hoc **summ**is **inopes** te **precibus** **rogant**.



JOAN. ANTON. DU CERCEAU,
Societatis JESU.

